

MORTE DI CESARE

Coniurati, cum Caesarem interficere statuissent, ante Pompeii statuam in curia eum exspectaverunt. Cum autem dictator in curiam intravisset, processerunt contra eum Cimber Tillius et Casca, qui sica gulam eius percussit. Tunc alii coniurati accurrerunt cum gladiis et siccis. Cum inter eos etiam Brutum vidisset, quem tamquam filium amabat, genuit Caesar: "Tu quoque, Brute, fili mi!" et statim caput suum toga velavit nec plagis restitit. Diu apud Pompeii statuam mortuus iacuit, donec Antonius cum militibus armatis supervenit. Corpus eius deicere in Tiberim stauerant coniurati, sed, cum armatos milites vidissent, vehementer timuerunt et diffugerunt. Tum Antonius corpus Caesaris in Rostra vexit lectica et Rostris vehementissimam orationem habuit ante populum, in qua summis laudibus Caesarem extulit. Recitavit etiam magna voce testamentum eius, quo bona sua populo Romano legabat. Romani postea eum in numero deum posuerunt et diem, quo coniurati eum necaverant, diem parricidii appellavere.

IL REGNO DI DIONIGI PREDETTO DAGLI ARUSPICI

Dionysio, qui clarissimus inter Syracusarum tyrannos fuit et multos annos in patria imperium obtinuit, initium dominatus haruspicum responsum praedixerat. Cum enim equitaret per agrum Leontinum et equum suum in fluminis undas demisisset, hic ex aquae voraginibus non exstitit. Dionysius cum contendisset frustra ut equum ex fluctibus extraheret discessit tristi animo, sed, cum aliquantum processisset, subito hinnitum audivit et, cum respexisset, equum suum laetus conspexit, in cuius iuba densum apium examen consederat. Cum autem hoc prodigio obstipuisset nec quid significaret intellexeret, Dionysius haruspices interrogavit, qui his verbis responderunt: Sicut equus ex undis repente exstitit, sic tu in patria tua existes et in regno consideres sicut apes in equi iuba-. Nec eventus praedictionem haruspicum fefellit. Nam post breve temporis spatium Dionysius Syracusis regnare coepit.

ALCUNI DOVERI DI UN UOMO LIBERO

In libro, quem *de Officiis* inscripsit, Marcus Tullius Cicero docet quae viro honesto apta sint. Nam homines honestatem consequuntur si vitent turpia et sequuntur honesta. Admonet igitur Cicero ut homines, ingenuo loco nati, vitent omnia quae non hominis liberi, sed potius liberti vel servi propria sint. Ubi enim de mercatura disceptaturus est, sic scribit: "Mercatura, si tenuis est, sordida est; si autem magna et copiosa est, multa undique apportat multisque sine vanitate vel avaritia largitur, sordida non est". Nam homo, si liberaliter largitur, potest bonam famam adipisci et multis prodesse, animum non servilem sed generosum ostendere. Haec cum fecerimus, nullam invidiam divitiis nostris in nosmetipsos movebimus. Nihil enim diligentius vitandum est (=deve essere evitato) diviti et nobili (=dal ricco e dal nobile) quam invidia civium.

SECONDO SBARCO DI CESARE IN BRITANNIA

Cum in Britanniam navigaturus esset, Caesar Labienum legatum in continenti cum legionibus tribus et duobus milibus equitum reliquit ut portus tuerentur et rem frumentariam providerent. Praeterea Labieno imperavit ut cosilium pro tempore et pro re caperet. Ipse cum quinque legionibus et pari numero equitum, quem in continenti reliquerat, ad solis occasum naves solvit. Nam navigandum esse (= che si dovesse navigare) noctu putabat ne ab hostibus naves conspicerentur ubi ad insulae litus appropinquarent. Leni vento Africo proventus, vento media circiter nocte intermisso, cursum non tenuit et longius delatus aestu, orta luce, Britanniam relictam sub sinistram conspexit. Tum rursus aestus commutatio exspectata fuit ut eam partem insulae caperet, quam optimam esse ad egressum superiore aestate cognoverat. Qua in re magna fuit militum virtus, quia, vectoriis gravisbusque navigiis, remigii laborem non intermiserunt ut longarum navium cursus adaequarent.

ORAZIO COCLITE

Apud rerum scriptores legimus quanta fuerit animi fortitudo et vis corporis Horatii Coclitis in bello quod Romani cum Etruscis gesserunt, cum ex urbe reges exegissent. Nam Porsena, Etruscorum rex, ut in regnum Tarquinius restitueret, cum infesto exercitu Romae appropinquavit. Cuius adventu ingens pavor animos invasit agricolarum qui circa urbem incolebant cum nullo modo viderent quibus opibus se defendere et hostes a suis agris arcere possent. Quod enim

impedimentum in agris apertis, nullo opere munitis, tam fortes hostes morari poterat? Quare omnes in urbem demigraverunt eamque maximis praesidiis muniverunt. Pons Sublicius tamen iter hostibus praeberet, nisi unus vir fuisset Horatius Cocles, qui in primo pontis aditu stetit fortissime pugnans et aciem hostium qui ex Ianiculo accurrebant sustinuit, cum Romani ferro, securibus, quacumque vi poterant, pontem rescindebant. Quid de tanti viri virtute dicam? Vel qua laude eum extollere possum, in quem unum Etrusci omnia tela converterunt, nec ullo modo ex loco amovere potuerunt, donec pons ingenti fragore decidit? Denique Cocles, cum armatus in Tiberim desilisset, incolumes ad suos tranavit.

RITRATTO DI ANNIBALE

Hannibal, Hamilcaris filius, tanto praestitit ceteros imperatores prudentia quanto populus Romanus antecedit fortitudine cunctas nationes. Missus in Hispaniam, cum eo pervenisset, statim admirationem totius exercitus adeptus est; veteres milites Hamilcarem iuvenem in eo credebant intueri; admirabantur eundem vigorem in vultu vimque in oculis. Eadem facilitate poterat parere duci ac militibus imperare. Maxima cum audacia pericula ingrediebatur, callidissimus inter pericula ipsa erat, nullo labore aut corpus fatigari aut animus vinci poterat. Pari patientia calorem ac frigus patiebatur, parcus in cibum erat, quieti etiam exiguum tempus concedebat. Equitum peditumque ille primus erat: primus pugnam ingrediebatur, ultimus, ex proelio, excedebat. Ingentia vitia has tanti viri virtutes aequabant: inhumana crudelitas perfidiaque, nullus deorum metus, nulla religio illi erat.

IL RE PORO PARLA CON ALESSANDRO

Alexander, ut Porum victum post pugnam vidit, non odio sed miseratione commotus: "Quae amentia –inquit– te coegit, rerum gestarum mearum audita fama, belli fortunam contra me experiri?". At ille: "Quoniam – inquit – percontaris, respondebo ea libertate, quam tu interrogans mihi fecisti. Neminem quam me fortiorem esse censebam. Meas enim noveram vires, nondum expertus tuas: fortiorem te esse belli eventus docuit. Sed ne sic quidem me parum felicem puto: secundus sum tibi." Rursus interrogatus quid ipse victorem facturum esse putaret: "Id – inquit – quod tibi hic dies suadet, quo in casu meo experiris quam caduca sit felicitas humana". Plus his verbis profecit quam si clementiam petivisset: nam magnitudinem animi eus interritam miratus, non solum cum misericordia et clementia sed etiam cum honore Alexander eum excipere dignatus est.

CESARE ATTACCA I NEMICI

Caesar, exposito exercitu et loco castris idoneo capto, cum ex captivis cognosceret in quo loco hostium copiae consedissent, cohortibus decem ad mare relictis et equitibus trecentis, ut praesidio navibus essent, de tertia vigilia ad hostes contendit, eo minus veritus navibus, quod in litore molli atque aperto deligatas ad ancoras relinquebat. Ipse, noctu progressus milia passuum circiter XII, hostium copias conspicatus est. Accidit ut illi, equitatu atque essedis ad flumen progressi, ex loco superiore nostros prohibere et proelium committere coeperint. Repulsi ab equitatu, se in silvas abdere constituerunt, locum nacti egregie et natura et opere munitum, quem domestici belli causam iam ante praeparaverant: nam crebris arboribus succisis omnes introitus praeclosos esse nostri animadverterunt. Ipsi ex silvis rari propugnabant nostrosque intra munitiones ingredi prohibebant. At milites legionis septimae, testudine facta et aggere ad munitiones adiecto, locum ceperunt eosque ex silvis expulerunt, paucis vulneribus acceptis. Sed eos fugientes longius Caesar prosequi vetuit, et quod loci naturam ignorabat, et quod, magna parte diei consumpta, munitioni castrorum tempus relinquere volebat.